Wissenschaftliche Beilage zum Jahresbericht
der XII. Städtischen Realschule zu Berlin. Ostern 1901.

De vetustiore versus heroici forma in Homeri carminibus inventa

scripsit

Carolus Hoerenz.

BERLIN 1901.
R. Gaertners Verlagsbuchhandlung
Hermann Heyfelder.

1901. Programm Nr. 128.

Versum heroicum Delphis inventum esse veterum scriptorum fabulae memoriae produnt. Quas cum contulerit E. de Leutsch in Philologo 1867 p. 19 sqq. satis habeo commemorasse a Diomede versus initio e sex spondeis compositi inventionem Delphis tribui, a Mario Victorino versum laudari *ἰὴ παιὰν ἰὴ παιὰν ἰὴ παιάν*, quo incolae Delphorum Apollinem celebraverint. Cuius dei filia vatesque Phemonoe a Pausania inventrix heroi versus appellatur, et ab aliis scriptoribus Musae vel nymphae illum versum dicuntur invenisse.

Quas fabulas si recte invellegimus, significari videtur sacerdotes illo potissimum versu usos esse cum Apollini et musis sacra facerent et oracula ederent, quod erat gravitate versus ille aptissimus ad verba solemnia, quae ab oraculis edi solebant. Haec res vel ex eo intellegitur quod poetae Graeci tragici et comici utuntur hexametro dactylico iis locis ubi agitur de oraculis vel ubi recitantur oracula (cf. Christ Metrik [2] p. 160). Neque vero ipsis scriptoribus veteribus quicquam pro certo constabat de versus longi origine et forma ante Homerum usitata. Quo factum est ut variae illae fabulae existerent, quibus demonstraretur versum illum veterrimum a Graecis ipsis inventum esse. Homerus, qui eum certe nobilitavit, utrum creaverit ex versiculis vetustioribus an totum a prioribus temporibus acceptum caesuris in ordines breviores diviserit, et veteribus scriptoribus difficile erat diiudicare et nobis semper erit.

Iam quamquam Duentzer (Hom. Fragen p. 162) plane negat indagari posse originem heroi versus tamen non defuerunt viri docti, qui difficili huic rei tractandae operam navarent, quantaque erant sagacitate acrius perquirendo varias sententias proponerent de origine huius versus, quem veteres rerum metricarum scriptores unum et simplicem versum esse negaverunt. Nam cum hexapodiam dactylicam non liceret plus sedecim *χρόνους πρώτους* continere (Psellus [Aristoxenus] § 12, Aristides § 25) in hexametro dactylico, qui viginti quattuor *χρόνους πρώτους* habebat, incisionem observandam esse versumque in duo cola dirimendum esse putabant (Marius Victorinus I, 19).

Iam cum de origine et vetere forma heroi versus inter doctos viros magnopere adhuc disceptatum sit, haud alienum erit breviter exponere sententias primarias de hac re propositas priusquam aggrediamur ad formam versus apud Homerum usitatam.

Ex numero earum sententiarum quas Leutsch in commentatione recensuit cuius supra mentionem feci (Philol. XII p. 19 sqq.) omittendae mihi videntur Apelii et Thierschii quorum alter putat versum heroum constare duobus ithyphallicis, quamquam nullas causas affert ad fulciendam

sententiam (Apel Metrik I, 480), alter illum versum ita ortum esse censet, ut a Doriensibus coniungerentur duo trimetri dactylici catalectici in syllabam. Quae coniunctio cum dura esset, quod omissis thesibus arsis arsin excipiebat, theses in fine ordinis cuiusque accersitas esse, quibus variaretur versus et redigeretur in hexametri formam posteris usitatam (Abhandl. der Muenchner Akad. 1813 p. 38). Hoc vero modo hexametrum ortum esse persuadere mihi non possum, nam non est verisimile versui duas moras additas esse quae antea abiectae videntur. In Apelii sententia aliquid veri videtur inesse, cum intellegat numerum dactylicum non antiquissimum esse sed ex simpliciore ortum.

G. Hermann in libro quem inscripsit Elementa doctrinae metricae (p. 331) putat hexametrum constare trimetro dactylico catalectico in syllabam coniuncto cum tetrapodia anapaestica catalectica in syllabam. Cui recte repugnare videtur Leutsch qui dicit l. l. antiquissimis temporibus non potuisse versus componi ex variis numeris ita ut versus inciperet a numero dactylico prioris ordinis, sequeretur numerus anapaesticus in posteriore ordine. Nam initio certe numerus versus unus idemque in utroque ordine metrico debebat esse. Videtur autem Hermann ad hanc sententiam adductus esse eo quod caesuram, quae est post tertii pedis arsin, principalem intellexit, qua versus dirimitur in ordinem dactylicum priorem et ordinem anapaesticum. Dicit enim vir doctissimus (E.D.M. p. 331, p. 337) ‘inde ab Homero usque ad quintum post Christum natum saeculum poetas epicos Graecos usos esse mascula caesura quae a grammaticis vocetur semiquinaria, deinde a Nonno Aegyptio caesuram tertii pedis trochaicam ut legitimam usurpatam esse’. Sed cum de caesura principali versus Homerici aliter sit statuendum atque Hermanno placuit, allio modo videtur versus dirimendus esse aliterque de duobus ordinibus iudicandum. Accedit quod Hermannus, ut alii viri docti, hexametrum dactylicum vetustissimum Graecorum metrum putat, quo ab Homero ad Archilochum poetas solo usos esse contendit. Quae sententia labefacta videtur a Bergkio commentatione quam scripsit de vetustissimo Graecorum metro (Über das älteste Versmass der Griechen, Freiburg 1854). Primus enim Bergkius egit de heroi versus forma ita ut rationem haberet historiae poeseos Graecae. Atque intellexit principium versuum Graecorum non esse hexametrum sed paroemiacum versum a Graecis ante Homerum usitatum in proverbiis, carminibus, inscriptionibus, quorum versuum breviorum magnum numerum contulit et cum interdum duo eiusmodi versus ultro coire viderentur in hexametri formam, coniecit illum versum ita ortum esse ut duobus versibus anapaesticis coniunctis abiecta anacrusi prioris partis ex anapaestico dactylicus versus prodiret. Paroemiacorum versuum numerus trochaicus, iambicus, anapaesticus potest esse, quamquam anapaesticus ita praevalet ut a veteribus scriptoribus dimeter anapaesticus catalecticus imprimis soleat appellare paroemiacus. Cf. Hephaestion cap. 8 *τὸ δὲ δίμετρον καταληκτικὸν καλεῖται μὲν παροιμιακὸν διὰ τὸ παροιμίας τινάς ἐν τούτῳ τῷ μέιρῳ εἶναι οἷον ἀλλὰ παροιμίαι εἰσὶ καὶ οὐ τούτου τοῦ μέτρου μόνον ὥστε οὐκ εἰκότως αὐτὸ μόνον παροιμιακὸν καλοῦσιν.*) Iam si abicitur anacrusis versus anapaestici fit enoplius, quem Bergk putat priorem hexametri ordinem esse, excipientem paroemiacum ordinem posteriorem.

Difficultas autem eadem est quae a Leutschio in Hermanni sententia vituperatur, syllabis abiectis versum quasi abire in alium numerum. Tamen suo iure accersitur paroemiacus, ex quo duplicato fieri potuit hexameter. Neque vero Leutschio concedendum est proverbia et carmina popularia recentiora esse quam ex quibus conici possit quae forma versuum antiquissimis temporibus fuerit. Nam certe in carminibus Homeri et Hesiodi inveniuntur proverbia antiquissima, quorum

forma metrica est paroemiacus. (Cf. Usener Altgriechischer Versbau p. 46 sqq.) Aliam vero causam quam Leutsch affert contra Bergkium 'fieri non posse ut anacrusis sit pro duplici anacrusi neque in medio versu una mora pro duabus' nullius momenti videtur si resipicimus illa quae Usener explicavit de versu iambico Indogermanico in versum Graecorum dactylum mutato (l. l. p. 29) et quae Allen disseruit de versus saturnii formis variis (Kuhns Zeitschr. 1879 p. 556 sqq.). Quibus de sententiis infra fusius exponemus. De Leutschii ipsius opinione haec dicenda sunt. Ille existimat l. c. versum hexametrum ortum esse ex tetrametro dactylico catalectico et dimetro dactylico catalectico in disyllabum ita ut ordini dactylici numeri longissimo subiungeretur clausula versui adonio simillima. Tetrametro enim dactylico ordo metricus numeri dactylici longior esse non poterat, cum ille esset sedecim morarum; itaque hexameter dactylicus simplex ordo non est sed in duo cola dirimendus. Homerus igitur versum illis duabus partibus constantem accepit. Qui poeta magna cum arte carmina componens effecit ut omnia perpolita videantur neque saepius versus liberiore lege metrica revincti inveniantur. Quorum versuum Leutsch non plus quam quattuor in Homeri carminibus invenit. Addit duo versus Ennii, in quibus omnibus in quarti dactyli thesi una syllaba brevis pro una longa aut duabus brevibus usurpatur. Liceat afferre illos versus:

Λ 36 *Τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις | ἐστεφανῶτο.*
Κ 292 *σοί δ' αὖ ἐγὼ ῥέξω βοῦν ἦνιν | εὐρυμέτωπον.*
γ 382 idem versus.
Ο 49 *εἰ μὲν δὴ σύ γ' ἔπειτα βοῶπι | πότνια Ἥρη.*
Σ 357 *ἔπρηξας καὶ ἔπειτα βοῶπι | πότνια Ἥρη.*

Ennii fragm. LIII versus 86 Vahlenii:

Noenum rumorum ponebāt | ante salutem.

Ennii fragm. VIII v. 314 Vahlenii:

Omnibus cura viris uter essēt | induperator.

Addam versum *Θ* 471:

ὄψεαι αἴκ' ἐθέλῃσθα βοῶπι | πότνια Ἥρη.

Quarum syllabarum licentiam Leutsch studet ex ipsa versus origine interpretari. Brevem enim syllabam pro longa usurpari non posse putat, nisi olim post quartum dactylum ubi nunc statuit caesuram bucolicam clausula incipiebat, cum in fine ordinis metrici syllaba utrum longa sit necne nihil prorsus intersit. Ennium putat hanc licentiam consulto imitatum esse cum versum heroum linguae latinae adderet, posteriorum temporum poetas illa abstinuisse. Sed minime recte vir doctissimus in ea re coniecisse videtur. Nam neminem fugiet hos versus principali caesura non uti bucolica sed caesura tertii pedis. In versibus *Ο* 49, *Σ* 357, *Θ* 471 valet trochaica, *Λ* 36 et *Κ* 292 semiquinaria. Bucolica caesura non potest esse principalis, si verum est quod Hermannus scripsit E.D.M. p. 33 'cum potior sit totius orationis quam unius alicuius vocabuli finis, iis in versibus, in quibus utrovis modo incidi potest, non ex vocabuli sed ex orationis fine aestimatur caesura'. Itaque de fine ordinis metrici illis locis vix cogitari potest. Neque vero Alexandrinos fugit legem metricam voce *ἦνιν* violatam esse, nam in scholiis Venetis ad versum *Κ* 292 et in Eustathii commentario exstat *ἤνιν*. Viri docti illos locos alii alio modo sanare studuerunt. Christ (Metrik p. 180) putat terminationes '*ι*' nt '*ις*' olim longas fuisse. Hoffmann (Quaestiones Homericae p. 99) eas ancipites censet. Knoes (De digammo homerico p. 335) non dubitat quin

scribendum sit βλοσυρώπις. Bekkerus mutavit βοῶπι in βοῶπις ita ut nominativus fiat, quae forma invenitur in codice Veneto. Itaque Leutschii sententia de origine versus heroi non satis tuta est, quamquam ex versibus in quibus ratio metrica violata videtur, recte concludi potest de vetustiore versus Homerici forma.

Praeter eos viros quorum sententias Leutsch iudicavit l. l., Westphal (Griechische Metrik p. 333) putat hexametrum dactylicum ortum esse ex duabus tripodiis dactylicis, quem numerum satis simplicem censet, ita ut simpliciorem formam quaerere supervacaneum sit. Obloquitur ei Conr. Hermann (Neue Jahrbb. 1880 p. 65) qui recte dicit antiquissimam epici versus formam simpliciorem fuisse dactylica. Tamen ipse sententiam perversiorem proponit cum dicat versum prodiisse ex dipodia trochaica 'altera arsi in quaque dipodia suppressa'. Nam auctam arsin i. e. versus partem ictu opprimi potuisse haud facile credam, quamquam recte intellegit dactylum ex versu simpliciore mutatum esse.

Seiling ('Ursprung und Messung des Homerischen Verses' Programm Münster 1887) putavit versum Homericum esse trimetrum dipodicum dicatalecticum. Praeterea carmina omnino non recitata sed cantata esse.

Kluge 'Zur Entstehungsgeschichte der Ilias' (p. 1—18) putat hexametrum prodiisse ex duobus principiis, quorum alterum fuerit dimeter tripodicus, alterum trimeter dipodicus. Numerum initio iambicum anacrusi post caesuram dactylicum factum esse (l. l. p. 46). In versibus illis bipertitis vel tripertitis quantitatis syllabarum rationem non habitam esse, versus inter se saepius homoeoteleutis iunctos fuisse (cf. Seiling l. l. p. 11).

Negandum non est multas difficultates in Homeri carminibus tolli si versum initio nulla alia lege revinctum putamus nisi ut constet certo numero syllabarum neglecta quantitate. Sed arte non poetae sed pronuntiantis cuiusdam poetae carmina (ῥαψῳδοῦ) posteris temporibus illos versus numero metrico accommodatas esse vix credam.

Ceterum similibus rationibus quibus Kluge Usener quoque adductus est ad sententiam suam (Altgriechischer Versbau, Bonn 1887).

Qui cum vidisset in Homeri carminibus haud paucos versus inveniri, quorum in caesura tertii pedis vis digammi neglegeretur vel duabus consonis quas solemus appellare 'mutam cum liquida' syllaba praegrediens non produceretur, coniecit esse in Homeri carminibus aliquoties formam vetustiorem versus hexametri dactylici. Quam formam ad epicum versum Indogermanicum referre conatus est, et metris gentium Indogermanicarum inter se comparatis docere studuit versum epicum Graecorum originem duxisse a versu longo Indogermanico, quo ex principio prodierint versus saturnius, versus longus Germanorum, versus Celtorum et Slavorum. Forma primaria illorum versuum est versus nulla alia lege metrica revinctus nisi ut habeat quattuor arses neglectis thesibus, numerusque versus Indici iambicus est. Quorum versuum binos coniunctos esse in longiorem versum ab omnibus Indogermanicae stirpis populis, cognoscitur ex versibus epicis qui omnes constant ex duobus ordinibus.

Versus vetustissimus quem Westphal invenit in libro qui dicitur Zendavesta, in hymnis Indicis, in carminibus linguae sanscriticae, eo mutatus est quod in posteriore ordine ratio habita est quantitatis. Qua re versus non iam erat octo syllabarum sed habebat quattuor arses. Theses poterant esse longae vel breves, sed nunquam numerus erat dactylicus ita ut in thesi essent duae breves syllabae. Iam cum ultima thesis supprimeretur, quo gravior versus exiret, factum est ut

quarta arsis tertiam exciperet, cuius vi superata in theseos locum redigeretur, neque fieri potuit quin syllaba ex gravi levis facta interdum plane abiceretur. Ita ex tetrapodia trimeter factus est. Neque anacrusis servari debebat sed abiecta est. Tum sensim in thesi pro una mora videntur duae morae illatae esse, ut numerus, dactylicus, iambicus, trochaicus, spondaicus posset esse'. Quo modo versum Indogermanicum mutatum esse persuadere nobis poterimus, si versus saturnios versusque Graecorum vetustissimos perlustraverimus. Videamus de versu saturnio, cuius de natura et origine valde viri docti dissentiunt.

Si cum Westphalio et Bartschio legendum est

Dabúnt Malúm Metellì | Naévio poétaè

videmus in illo versu anacrusin in priore ordine servatam esse, quae in hexametro exstat in posteriore. Thesis quarta ut saepius vel semper suppressa est, qua re arsis ultima cuiusque ordinis facta est, cum in versibus recitatis molestus esset exitus quo arsis arsin sequeretur.

Afferam exempli gratia etiam versus saturnios quos collegit Bartsch (Der saturnische Vers und die althochdeutsche Langzeile p. 50 sqq.) cf. Allan, Kuhns Zeitschrift 1879 p. 579

Meá puér quid vérbì | éx tuo óre aúdiò

Liv. Andron. Odisia v. 3 (Baehrens, poetae minores).

Sacra ín mensá Penátiúm | órdiné ponúntùr

Naev. Bell. Pun. l. I v. 4.

Coríntho délétò | Romám rediít triúmpàns
Ob hásce rés bene géstàs | quód in béllo vóveràt

Tit. Mumm.

Dédet témpestátébús | aédem méretod vótàm

Elog. Scipp. II v. 4.

Donúm danúnt Hercóleì | máxsumé merétòd

Ded. Sor. v. 4 (Baehr.).

In vetustioribus versus saturnii formis initio syllaba cuiusque ordinis in fine ictu aucta videtur. Qua si versus forma ititur idem est atque Indicus et Germanicus cuius rei Allen exempla attulit l. l. p. 581. Vetustiores saturnii versus videntur etiam esse ii quos affert Cato in libro de re rustica scripta cap. 141.

Márs páter précor té
Quáesóque ŭti síes | vólens propítiús
Mĭhi dŏmo familiaéque nóstraè sqq.

Quibus in versibus cum syllaba brevis in arsi inveniatur conici licet illos lege metrica revinctos esse ad accentum spectante non ad numerum. Similes sunt versus qui inveniuntur apud Livium V, 16 (cf. Baehrens poetae latini minores p. 35)

cave ín marè manárè | flúminè sinás súo
túm tu insíste aúdàx | hóstium múrìs

Addatur carmen Saliare, si legendum est:

Quomé tonás Leucésiè | praé tèd tremóntì

In carmine fraturum arvalium si legamus cum Bartschio l. l. p. 50.

Enós Lasés iuváte
Neve lue rue mármar síns incúrrere in pléores

Satur fú fere Márs li|mén salí sta bérber
Semúnes áltérnei | ádvocápit cónctos
Enós Marmór iuvàto
triúmpe triúmpe triúmpe triúmpe tríúmpè,

videmus theses duarum syllabarum irruere in versum saturnium, qui medius videtur inter versus numero revinctos et versus qui accentus solius rationem habent.

Neque videtur anacrusis solo in primo ordine inveniri sed, ut in hexametro, poterat etiam esse in secundo. Simillimum omnino saturnium versum heroo versui esse maxime intellegitur mutatis ordinibus:

Gnaivod patre prognatus | fortis vir sapiensque
ϝιδυίῃσι πραπίδεσσι | Ἥφαιστος ποίησε
Fortis vir sapiensque | gnaivod patre prognatus

Apud Graecos ex versu quattuor arseon versum dactylicum factum esss trium arseon, conici potest ex metrica ratione carminis antiquissimi quod Usener affert in libro laudato p. 80.

ἐλθεῖν ἥρω Διόνυσε – ⊥ – ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⏑
Ἄλεῖον ἐς ναὸν
ἁγνὸν σὺν Χαρίτεσσιν
ἐς ναόν [ἐς ναὸν]
τῷ βοεῷ ποδὶ θύων ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⏑
ἄξιε ταῦρε ἄξιε ταῦρε ⊥ ⏑ ⏑ : ⊥ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⏑

In quo carmine videntur versus quattuor arseon esse thesibus interdum omissis, interdum una vel duabus brevibus syllabis expletis, ita ut saepius dactylus pro iambo inveniatur. Sed quarta arsis in omnibus versibus debilitata est ut fiant vere tres semis arseon. Neque deest anacrusis. Eosdem versus quattuor arseon exstare in carmino Rhodio concedo: ἦλθ' ἦλθε χελιδὼν ⊥ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⊥ l. l. p. 82.

Versus videtur dactylus thesibus interdum suppressis. Anacrusis in quibusdam versibus duabus moris expleta efficit versus formam plenissimam:

ἐπὶ γαστέρα λεύκα 'πὶ νῶτα μέλανα. ⏑ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⏑ ⏑ ⊥ ⏑

In carminibus nostri sermonis versus eodem modo esse compositos, ita ut sint quattuor arseon sed quarta debilitata vel fere neglecta thesibus omissis, facile intellegitur ex carminibus popularibus neque inepte afferuutur ab Usenero nostrum

O Strássbùrg o Strássbùrg
Du wúnderschoéne Stádt sqq.

et ab Allenio (p. 578)

Lenóre fúhr ums Mórgenrót
Empór aus schwéren Traéumèn

in quibus versus quattuor arseon idem valet atque versus trium semis et versus vario modo compositi eodem numero utuntur. Eodem modo varios versus theotiscos in Nibelungiade eodem numero uti nemo ignorat. Sed ut omittantur aliarum nationum carmina, quibus nihil demonstratur nisi eadem res: formam metricam communem omnium gentium Indogermanicarum videri eundem versum brevem esse eumque ex tetrametro trimetrum factum debilitata ultima arsi sed ita ut, si ad numerum spectetur, duae illae formae idem valeant' iam de versibus inscriptionum iudicetur, qui in hexametri formam coire videntur

Versus enim breviores facile interdum coniungi, ut hexametri fierent, Bergk viderat, qui iunxit inscriptionem, quae est apud Herodotum (V, 60)

Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκε | νηῶν ἀπὸ Τηλεβοάων

et

Ἰάρων ὁ Δειμόνεος | τῷ Δὶ Τυράνν' ἀπὸ Κύμας

quamquam intersunt verba *καὶ τοὶ Συρακόσιοι*. Addatur Echembroti dedicatio Paus. X, 7, 6.

Νικήσας τόδ' ἄγαλμα | Ἀμφιτρυόνων ἐν ἀέθλοις.

Facile iungitur etiam Lini carminis exordium

Ὦ Λίνε πᾶσι θεοῖσι | τετιμένε σοὶ γὰρ ἔδωκαν κτλ.

In brevioribus inscriptionibus saepius inveniri paroemiacum versum incipientem ab anacrusi exemplis ab Usenero allatis (l. l. p. 81) demonstratur.

Anacrusim vero in priore hexametri colo abiectam in posteriore servatam esse ex origine ipsa versus facile intellegitur. Nam cum versiculos breviores ab antiquissimis temporibus in longiorem versum duplicatos esse ex versibus veterum Indorum, ex versu saturnio, ex versu longo Germanico appareat, conici potest Graecorum versum heroum ex duobus versiculis paroemiacis ortum esse. Cuius forma veterrima ita fere cogitanda est, ut quarta arsi debilitata amissa anacrusis initio in utroque colo servata tum abiceretur. In fine cuiusque ordinis certe syllaba anceps erat. Quam formam Allen (l. l. p. 571) fere hanc fingit:

Τὸν | ἄνδρα μοὶ ἔσπετε μοῦσαι | βουλήφορον ὅς μάλα πολλά

vel in priore colo forma catalectica usurpata:

μῆνιν ἄειδε θεὰ | ἀρηιφίλου Μενελάου.

Hoc modo ex tetrapodia iambica trimeter dactylus factus esset.

Anacrusin prioris ordinis etiam in hexametro Homerico aliquoties servari apparet ex versibus quibusdam qui in formam hexametri posteris usitatam redigi non possunt nisi synizesi dura in initio adhibita. Cf.

Ο 18 ἦ οὐ μέμνῃ ὅτε τε κρέμω ὕψοθεν ἐκ δὲ ποδοῖιν

Φ 396 ἦ οὐ μέμνῃ ὅτε Τυδεΐδην Διομήδε' ἀνῆκας

Ε 349 ἦ οὐ ἅλις ὅττι γυναῖκας ἀνάλκιδας ἠπεροπεύεις.

Similes sunt illi versui quem affert Usener (l. .l p. 99)

Ἀσκλήπιε σὴν δὲ δίδου | σοφίαν ὑμνοῦπτας ἐς αἰεί.

Neque omittendum videtur carmen Sapphus nuptiale quod constat ex brevioribus versibus qui, quamquam vox *ὑμήναιον* intermissa est, ultro coire videntur in hexametri formam vetustiorem

Ὕψι δὴ τὸ μέλαθρον | (Ὑμήναιον) | ἀέρρετε τέκτονες ἄνδρες
γάμβρος ἔρχεται ἶσος Ἄρευι | ἀνδρὸς μεγάλω πολὺ μείζων.

Variae formae versus brevioris praebentur. Pro dactylo invenitur bis trochaeus, prius colon alterius versus quattuor arseon est.

In proverbiis versum breviorem usurpatum esse Bergk et Usener ostenderunt. Quorum versuum nonnullos in Homeri et Hesiodi carminibus sub hexametri speciem redactos collegit Usener (l. l. p. 46) *ῥεχθὲν δέ τε νήπιος ἔγνω* *Ρ* 131, *Υ* 191 quod proverbium esse iam scholiastae dicunt.

Idem proverbium est in Hesiodi Opp. 258

παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.

Eodem modo proverbium est in vv. *K* 203, *σ* 537 μισθὸς δέ οἱ ἄρκιος ἔσται. Apud Hesiodum permultis locis proverbia paroemiaci forma inveniri satis notum est cf. Usener l. l. p. 44 sqq. Quae proverbia cum multo vetustiora sint quam carmina Homerica forma sua probare videntur vetustiorem versus brevioris formam.

Iam cum verisimile sit hexametrum ortum esse ex duobus versiculis, quaeratur num in Homeri carminibus adhuc versus inveniantur, quorum ex forma concludi possit de vetere illa coniunctione. Quae quomodo facta sit si quaerimus, facere non poterimus quin exponamus de caesuris heroi versus.

Caesura est finis ordinis metrici coniunctus cum fine vocabulorum. Quarum incisionum quamquam 16 possunt statui, tamen duae sunt, quibus praecipue versus bene dirimitur. Nam cum quattuor partes omnium versuum Homericorum in tertio pede dividi possint, ita quidem, ut in Iliade non plus quam centum octoginta quinque, in Odyssea septuaginta unus inveniantur versus caesura tertii pedis carentes (Bekker, Homerische Blaetter I, 153) neque Lehrs (De Aristarchi studiis Homericis p. 394 sqq.) aliam caesuram agnoscit nisi tertii pedis, exceptis 219 versibus Iliadis, 94 Odysseae, in quibus statuit caesuram hephthemimeren, quos locos recte interpolatos censet cum certe versus tripertiti non potuerint componi nisi posterioribus temporibus hexametro dactylico ut simplici et uno versu adhibito, originis ratione non habita — statui debet: in tertio pede olim versiculos binos breviores coniunctos esse in hexametri formam. Quae res rationibus ex ipsis carminibus repetitis probari potest. Iam cum forma paroemiaci versus sit trimeter dactylicus catalecticus in disyllabum, imprimis quaerendum erit de caesura post tertii pedis trochaeum, quae graece vocatur κατὰ τρίτον τροχαῖον. Quae caesura quamquam vetustior videtur quam semiquinaria vel πενθημιμερής, quod verisimilius est moram abiectam esse quam additam et utrumque ordinem olim exiisse in thesim, tamen a posteris semiquinaria caesura principalis habita pro legitima usurpata est, ita ut Romani paene omnino trochaica abstinerent. ‘Differre enim Homericum versum ita ab Horatiano et Vergiliano, ut apud Latinos poetas inter denos versus noveni distineantur caesura semiquinaria; contra apud Homerum utramque caesuram fere pari numero versuum legi, sed paulo saepius trochaicam’ Hoffmann recte dicit in Quaestt. Hom. (p. 12). Idem scriptor cum dicat caesuram post tertii pedis trochaeum molliorem reddere versum, quod mollior sit numerus trochaicus atque infirmior, causam videtur veram intellexisse, cur trochaica a posterioribus poetis spreta sit; nam caesura illa saepius iterata periculum erat, ne languidiores fierent versus et unisoni, quod ostenditur Nonni versibus a Christio allatis (Metrik [2] p. 177), qui mollitia certe sunt molesti.

Alia igitur caesura immixta est durior, qua versus variarentur. Haec caesura, quam Lucianus Mueller in libro de re metrica scripto (p. 182) appellat ‘ut simplicissimam ita pulcherrimam, qua versus quam potest fieri aequabiliter dividitur’ cum sit durior et aspera — qualem quidem G. Hermannus intellegit — aptissima erat ad firmandum versuum numerum, ne molliores fierent trochaica, quam epicos versus decet. Quo factum est ut trochaicam loco principali pelleret; neque illa prius quam quinto post Christum saeculo a Nonno Aegyptio in antiquam sedem restituta est, quam obtinuerat in Homeri carminibus. Aliae verae caesurae in illa carmina non prius illatae esse possunt quam hexameter simplex et unus ordo sex dactylorum intellegeretur, ita ut poeta

pangere posset versus tripertitos, quamquam eiusmodi versus in antiquissimis partibus illorum carminum saepe excusantur necessitate, quia nomina haud facile adaptari poterant metricae versus formae. Neque ei versus in quorum caesura apostrophus invenitur aliter intelligi possunt ac versus simplices et firmi, nisi forte quis cum Lehrsio consentiens post apostrophum incidit. Antiquissimis autem temporibus caesurae non poterant alio in versu aliam in sedem incidere, sed cum non solum ad numerum pertinerent, verum etiam ad vim orationis et sensum, eodem fere loco debebant inveniri, qui est pes tertius.

Tertii pedis caesuras cum enumeraverimus inveniemus trochaicam saepius inveniri.

Liceat afferre doctorum virorum de hac re sententias.

Spitznerus in libro de versu Graecorum heroico scripto dicit (p. 5) in pluribus libris Homeri trochaicam caesuram saepius inveniri, sed exempla nulla affert.

Hartel (Hom. Stud.[2] p. 83, 113) invenit in libris Iliadis et Odysseae inter 4822 versus 2597 qui caesura tertii pedis trochaica distineantur.

A	inter 611	versus	313	caesuras	trochaicas.
B	„ 877	„	427	„	„
Γ	„ 461	„	230	„	„
Δ	„ 544	„	282	„	„
E	„ 909	„	545	„	„
β	„ 434	„	250	„	„
ε	„ 493	„	256	„	„

Allen (Kuhns Zeitschrift 1879 p. 556—592) invenit in carminibus:

A	357	caesuras	trochaicas,	246	semiquinarias.
Γ	243	„	„	210	„
Δ	485	„	„	349	„
α	267	„	„	177	„
ζ	184	„	„	144	„
ι	291	„	„	272	„

Thomas D. Seymour (American Philological Association 1885 vol. 16 p. 30) qui numeravit in carminibus:

A	315	trochaicas,	289	semiquinarias,
Γ	243	„	210	„
Δ	485	„	340	„
α	267	„	177	„
ζ	184	„	144	„
ι	291	„	272	„

censet praevalere trochaicam caesuram, quae res non debeatur linguae Graecae sed poetae arbitrio.

J. Bekker (Hom. Blätter I, 144) in carminibus Iliadis invenit caesuras semiquinarias: *A* 298, *B* 450, *Γ* 231, *Δ* 262, *E* 454.

Videmus in primo Iliadis carmine trochaicas caesuras inventas esse ab Hartelio 313, ab Alleno 357, a Seymouro 315. Adde ab Usenero 328 inventas esse (l. l. p. 15), a Seilingio 456 (Progr. Muenster 1887 p. 12 sqq.).

Quae res cum doceat alium alio modo de caesuris statuere, non miror me in eodem carmine *Α* non plus quam 308 caesuras trochaicas invenisse. De ceteris Iliadis et Odysseae carminibus non minus recessi ab aliorum sententia, quamquam operam dedi ut quam accuratissime perquirerem. Quae carmina cum ad unum omnia perlustraverim, liceat afferre in tabula ordine caesuras tertii pedis trochaicas cuiusque carminis et semiquinarias, quibus addidi semiseptenarias a Lehrsio constitutas in libro de Aristarchi studiis Homericis scripto (p. 386).

In enumerandis caesuris secutus sum Allenii rationem (cf. l. l. p. 571), ita ut neque inciderem inter encliticam et vocem antegressam, neque ante *μέν* et *δέ*.

Ilias.

Carm.	Caesurae trochaic.	penthem.	hephth.	insunt omnino versus
I *Α*	308	297	6	611
II *Β*	476	381	20	877
III *Γ*	222	231	8	461
IV *Δ*	274	262	8	544
V *Ε*	509	390	10	909
VI *Ζ*	302	222	5	529
VII *Η*	258	220	8	479
VIII *Θ*	304	251	10	565
IX *Ι*	386	311	16	713
X *Κ*	310	262	7	579
XI *Λ*	464	370	14	848
XII *Μ*	273	196	3	472
XIII *Ν*	468	356	13	837
XIV *Ξ*	298	218	6	522
XV *Ο*	457	286	3	746
XVI *Π*	428	226	13	867
XVII *Ρ*	424	325	12	761
XVIII *Σ*	371	238	8	617
XIX *Τ*	241	192	9	424
XX *Υ*	275	224	4	503
XXI *Φ*	356	251	4	611
XXII *Χ*	296	214	5	515
XXIII *Ψ*	483	395	19	897
XXIV *Ω*	413	385	8	804

Odyssea.

Carm.	Caesurae trochaic.	penthem.	hephth.	insunt omnino versus
I *α*	267	177	0	444
II *β*	238	196	0	434
III *γ*	284	209	4	497
IV *δ*	457	385	5	847
V *ε*	257	231	5	493
VI *ζ*	173	155	3	331
VII *η*	199	143	5	347
VIII *ϑ*	325	258	3	586
IX *ι*	292	271	3	566
X *κ*	278	279	7	574
XI *λ*	324	304	12	640
XII *μ*	219	232	2	453
XIII *ν*	233	204	3	440
XIV *ξ*	284	256	2	533
XV *ο*	289	266	2	557
XVI *π*	263	208	10	481
XVII *ρ*	313	289	4	606
XVIII *σ*	249	175	4	428
XIX *τ*	299	297	8	604
XX *υ*	233	157	4	394
XXI *φ*	227	205	2	434
XXII *χ*	271	216	14	501
XXIII *ψ*	205	166	1	372
XXIV *ω*	274	267	7	548

Iam cum versus herous saepius caesura tertii pedis trochaica distinctus sit, videamus num in tertio pede sit coniunctionis veterrimae locus. Cuius rei testis videtur lex metrica saepius

post tertium trochaeum violata. Nam haud raro inveniuntur versus in Homeri carminibus, quorum in tertio trochaeo ante caesuram syllaba brevis producitur ita ut positionis vi ex trochaeo fiat spondeus. Quae positio ita fieri potest ut syllabam in consonam desinentem excipiat vox digammo littera in fronte ornata, vel quae incipiat a duabus consonis quas appellamus mutam cum liquida. Quarum vi si vere positio fieri potest, necesse est in iis versibus inveniri vetustiorem versus heroi formam liberiore metrica lege compositi. Antiquissimis enim temporibus necesse non fuisse potest syllabam in fine ordinis metrici prioris brevem esse, cum nihil prorsus intersit utrum eiusmodi syllaba longa an brevis sit, neque posterioris ordinis syllaba prima, cum anacrusis sit alia intellegi potest atque anceps, ita ut pro dactylo creticus esse possit in illis versibus, qui medii quasi sunt inter versum Indogermanicum breviorem duplicatum et versum dactylicum Graecorum in quem ille mutatus est.

Quorum versuum in Homeri carminibus satis magnus numerus invenitur. Itaque liceat afferre exempli gratia duo versus ab Usenero citatos quibus difficultas explicetur. Versus *Α* 141 est

ἀλλ' ἄγε νῆα μέλαιναν | ϝερύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν.

Vocis *ἐρύσσομεν* digamma si valet, syllaba brevis *αν* producitur, quo fit ut versus una mora augeatur. Eodem modo in versu *Α* 438

ἐκ δ' ἑκατόμβην βῆσαν | ϝεκηβόλῳ Ἀπόλλωνι

producta syllaba *σαν* ex dactylo fit creticus et versui una mora additur. Quae difficultates tolli non possunt nisi plane negatur vis consona digammi et vis coniunctionis duarum consonarum ut in versu *Β* 465

ἐς πεδίον προχέοντο | Σκαμάνδριον αὐτὰρ ὑπὸ χθών

et *Β* 205

εἷς βασιλεύς ᾧ ἔδωκε | Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω.

Itaque disputandum erit breviter de vi digammi in Homeri carminibus et de positione debili.

De digammi natura inde a Bentlei temporibus, qui primus vestigia eius in Homeri carminibus agnovit, inter doctos viros multum disceptatum est, neque hodie pro certo constat, quae vis illius consonae spirantis labialis sit apud Homerum. Tantum enim abest ut consentiatur inter doctos viros de hac littera, ut alii nullum in Homeri carminibus digammi vestigium agnoscant, alii quam plurimis vocibus hanc litteram tribuere velint. Reiecit quidem plane digamma Homericum Fr. Aug. Wolf, cum non tradatur in codicibus neque Alexandrini eius faciant mentionem ut litterae vigentis. Neque Spitznerus, qui egit de Graecorum versu heroo, ei attribuit ullam vim producendi aut hiatus tollendi sed omnes difficultates vi caesurae tollere conatur.

Contra probaverunt digamma — ut omittam Payne-Knightium — Heyne et Bekker, qui digamma vindicat permultis vocibus, quarum in initio fuit forsitan consona, sed quaenam fuerit minime constat, inter recentiores Nauck et van Gent et praesertim Hartel, qui summa cum sagacitate egit de vi consona digammi (Abhandll. d. Wiener Academie 1872. 1873. 1874).

Cuius viri sententia satis firmum fundamentum est in quo subsistere possumus quamquam Usener (l. l. p. 14) eum vituperat quod putaverit carmina Homerica omnia eodem tempore composita eadem linguae forma uti. Neque vero Hartel linguae formam in iis carminibus eandem videtur existimare, si quidem recte intellego quod dicit in Studiis Homericis p. 115 'in carminibus Homericis rationem esse habendam earum quoque vocum quae rarius inveniantur vim digammi

ostendentes, si vetustas longa vim earum probare videatur'. Agitur enim illo loco de voce *ἄρνες* cui Hartel vindicat consonam initialem quam sprevit Hoffmann (Quaestt. Hom.). Digamma Hartel non evanescentem litteram putat sed vigentem in Homeri carminibus et pronuntiatam. Viguit tanta vi quanta convenit naturae litterae ad vocalem declinantis. Probatur Hartelio sententia Prisciani testimonio (I, 20, 21) qui dicit ab Aeolis digamma modo pro consona modo pro duplici consona, modo pro nulla habitum esse (l. l. p. 56). Vis digammae certe intellegitur ex eo quod saepissime consona sentitur. Quos locos Hartel contulit et tabula expressit. Invenit valere digamma 3354 locis, non valere in 617 versibus.

Vi digamma efficitur in Homeri carminibus ut syllabae breves desinentes in consonam in arsi positione facta producantur et in thesi, ut vocales longae vel diphthongi finales in arsi et in thesi productae serventur, ut hiatus tollatur. In thesi digamma non iam Hartelio videtur posse producere, nam illos locos omnes fere mutandos putat. Vox *οἷ* sola retinuit illam vim producendi ita ut quadragies in thesi efficiat positionem. Cuius rei causam Hartel recte intellegit hanc: tam arte pronomen cum vocabulo praegresso coniunctum esse ut positio quasi in medio vocabulo fiat. Liceat afferre versus:

P 142 *Ἕκτορ ϝεῖδος ἄριστε μάχης ἄρα πολλὸν ἐδεύει,*
Θ 125 *εὖ μὲν τόξον ϝοῖδα ἐύξοον ἀμφιραάσθαι,*
Ω 419 *οἷον ϝερσήεις κεῖται περὶ δ' αἷμα νένιπται,*
ν 119 *ἐνθ' οἵ γ' εἰσέλασαν πρὶν ϝειδότες ἡ μὲν ἔπειτα,*
ν 472 *ϝοῖνον ϝοινοχέοντες ἐνὶ χρυσέοις δεπάεσσιν,*
X 17 *γαῖαν ὄδαξ ϝεῖλον πρὶν ϝΊλιον εἰς ἀφικέσθαι*

cum videantur ostendere vim digammi etiam in thesi syllabam brevem producentem. Ceteris quadraginta locis fit productio in thesi vi vocis *ϝοῖ*.

Vocabulum *πρίν* apud Homerum non per se longum esse demonstratur locis *B* 344, 354, 413, *Γ* 132, *Δ* 114, *E* 127, 472, *Z* 125, *I* 403, *N* 257, *Φ* 476, *X* 156, *Ω* 800, *δ* 32, 212, *κ* 493, *ρ* 597 (cf. La Roche Hom. Unters. p. 256). Iam cum iis vocibus qui sunt in versibus supra citatis (*εἰδότες*, *εἷλον*, *εἶδος*, *οἶδα*, *οἶνος*, *ἑρσήεις*) digamma vindicandum esse vix negari possit, inde conici debet in antiquissimis partibus carminum Homericarum vi digammi positionem effici potuisse, in recentioribus propter digammi paulatim molliti infirmitatem in thesi non iam ante digamma positiones fieri. Videtur cum Hartelio natura digammi media putanda esse inter vocalis et consonae naturam ita ut syllabae breves in consonam cadentes quasi ancipites reddat sed raro in thesi producat. Accedit quod facile fieri potuit ut multis locis digamma initiale posterioribus temporibus, cum e sermone cotidiano illa littera evanuisset, versus hoc vel illo modo levissime mutaretur, ne poeta contra versus leges et rationes videretur peccavisse. Versus igitur qui non admittunt digamma recentiores vel mutati videntur.

Omnino universa illa linguae Homericae inconstantia atque volubilitas, quae linguam ostendit non factam sed orientem, formis variae aetatis utitur, ut saepe in eodem versu inveniamus recentiorem formam iuxta vetustissimam positam. Tamen certe saepius exstant versus in quibus digamma etiam in thesi producit syllabam antecedentem, cum haud raro voces, quibus ab omnibus viris doctis digamma vindicetur, sequantur vocem in thesi in consonam desinentem. Quae voces praesertim in caesura tertii pedis facile poterant producere brevem syllabam, cum illo loco syllaba levis ut in fine ordinis metrici anceps esset.

Videamus igitur num iis vocibus, quae in tertia thesi inveniantur positionem efficientes vi digammi, littera illa iure vindicetur.

Α 21 est in codicibus

ἀζόμενοι Διὸς υἱὸν | ἑκήβολον Ἀπόλλωνα,

Α 448 ἐκ δ' ἑκατόμβην βῆσαν | ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι,

Χ 362 Ζηνί τε καὶ Διὸς υἱεῖ | ἑκηβόλῳ οἷμε πάρος γε,

Α 14 = *Α* 373 στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν | ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,

ἑκατήβολος S

Α 96 τοὔνεκ' ἄρ' ἄλγε' ἔδωκεν | ἑκήβολος ἠδ' ἔτι δώσει,

Α 110 ὡς δὴ τοῦδ' ἕνεκά σφιν | ἑκήβολος ἄλγεα τεύχει,

Ρ 333 cf. Usener l. l. p. 20

ὥς ἔφατ' Αἰνείας δ' | ἑκατήβολον Ἀπόλλωνα,

Π 513 εὐχόμενος δ' ἄρα εἶπεν | ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι,

Ψ 872 αὐτίκα δ' ἠπείλησεν | ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι.

Vocem ἕκας incipere a digammo statui potest teste Mario Victorino (I, 4, 44), qui affert figuram ϝεκήβολος. In vase Caere reperta ϝεκάβα esse iam Savelsberg dixit in dissertatione de digammo scripta. Dativus ϝεκαδάμοε ab Usenero affertur (l. l. p. 19 sqq.).

Evanuisse digamma huius vocis sexto ante Christum saeculo quamquam ostenditur inscriptionibus Naxi inventis, tamen apud Homerum viget certe in versibus

Α 75 μῆνιν Ἀπόλλωνος | ϝεκατηβελετάο ἄνακτος,

υ 278 ἄλσος ὕπο σκιερὸν | ϝεκατηβόλου Ἀπόλλωνος,

Α 474 μέλποντες ϝεκάεργον ὁ δὲ φρένα τέρπετ' ἀκούων.

Itaque si Homeri carminibus tribuendum est digamma quod in iisdem vocibus praebent inscriptiones veterum temporum, ἑκ(ατ)ήβολος vox instruenda est hac littera, ita ut in versibus supra allatis ordo prior desinat in longam syllabam, posterior incipiat ab anacrusi levi. *Α* 21 et 438 praebent certe liberiorem versus formam. Eodem modo *Α* 96 in codice S (La Roche) et *Ρ* 333 (cf. Usener l. l. p. 20) mutandi sunt in vetustiores versus. Ceteri loci propter litteram paragogicam ν facile mutati sunt vel mutari possunt.

Α 141 νῦν δ' ἄγε νῆα μέλαιναν | ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν

et similes versus *Ρ* 635, 713, *Υ* 211, *δ* 577, *λ* 2, *κ* 403, 423, 713, *ρ* 479, *τ* 581, *ϑ* 34, *π* 348 praebent formam verbi ἐρύειν. Cui verbo digamma attribuendum esse constat, cum certissima vestigia sint in figuris αὐέρυσαν *Α* 459, *Β* 422, αὐερύοντα *Θ* 325 (ubi Hesychius interpretatur αὐερύοντα· εἰς τοὐπίσω ἐρύοντα), *Μ* 261 αὔερυον. Quae voces videntur dictae esse pro ἀνϝέρυσαν, deinde consona ν sequenti litterae ϝ assimilata exstitit ἀϝϝέρυσαν, quae forma abiit in usitatam αὐέρυσαν. Omnes locos ubi vis digammi valet Knoes contulit in dissertatione de digammo Homerico scripta (Upsala årsskrift 1873. 1874 p. 102. Et si digamma valet in versu

Α 506 = *Ρ* 317 Ἀργεῖοι δὲ μέγᾱ ϝἴαχōν | ϝερύσαντο δὲ νεκρούς

et *Ρ* 159 αἶψά κε Πατροκλōν | ϝερυσαίμεθα Ἴλιον εἴσω,

cf. *Ρ* 235 νεκρὸν ὑπ' Αἴαντōς | ϝερύειν Τελαμωνιάδαο

cur non in versu *Ρ* 635 = *Ρ* 713 et in similibus

ἠμὲν ὅπως τὸν νεκρὸν | ϝερύσσομεν, ἠδὲ καὶ αὐτοί?

In iis vero versibus digamma vigente versus fiunt, in quibus ante caesuram tertii pedis

trochaicam syllaba brevis producitur, quo restituitur vetustior hexametri forma, praesertim cum loci obstantes ut *Ψ* 21 *Ω* 16 facile possint sanari.

De versu *Α* 294

εἰ δή σοι πᾶν ἔργον | ὑπείξομαι ὅττι κεν εἴπῃς

uberius erit agendum.

Vocabulo εἴκειν digamma esse tribuendum nemo negabit, cum ex comparatis linguis Indogermanicis appareat. Neque in Homeri carminibus vocabula duplicata huius vocis carent vi digammi cum ὑποείκειν, ἀπόεικε, ἐπιεικτὸς non praebeant elisionem. Sola in voce ὑπείξομαι *Α* 294 digamma neglectum est. Versus enim *μ* 117

καὶ πόνον οὐδὲ θεοῖσιν | ὑπείξεαι ἀθανάτοισιν

quem Bekkerus (Homer. Blätter I, 23) facile dicit mutandum esse in θεοῖς ὑποείξεαι, cum ὑποείξω sit aliis locis octies, argumento esse non potest, cum carmen Iliadis primum certe multo antiquius sit quam carmen *μ* Odysseae, quod quo tempore illa pars Odysseae scripta est vis consona digammi iam evanuisse potest. Iam cum in versu *Α* 294 figura ὑπείξομαι tolerari non possit, viri docti vario modo illum versum sanare studuerunt inde a Bentleio qui voluit εἰδήσοί τι ϝέπος ὑποείξομαι (Usener l. l. p. 18) ad Fickium qui scripsit εἴσοι πᾶν ϝέργον ὑποείξομαι (Fick Hom. Il. p. 21). Marinus van Gent (Hom. Rhaps. I p. 18) cogitat de verbo quodam unde pendeat ϝέργον ἐποίχεσθαι vel ἐπισχέσθαι, quamquam de sanando hoc versu desperat. Machaon quem desiderat huius loci Usener exstitit qui intellegit hunc versum

εἴδή σοι πᾶν ϝέργον | ὑποϝείξομαι ὅττι κε ϝείπῃς

constare duobus ordinibus, quorum posterior incipiat a duplici anacrusi. Neque vero neglegenda mihi videtur sententia Ludwichii, qui in iudicio quod de Useneri libro tulit (Berl. Phil. Wochenschrift VII, 28) negat statui posse quamdiu digammi vis consona in Homeri carminibus viguerit, et facile putat potuisse iam illis temporibus quibus carmina Homerica sint composita ὑπείξομαι pro ὑποϝείξομαι dici. Qui vir doctus in libro qui inscribitur Aristarchs Homerische Textkritik (p. 278), docet digamma, quam censet litteram tam mobilem in Homeri carminibus, ut pro poetae arbitrio addi vel abici possit, 'initio firmam litteram fuisse, deinde mobiliorem factam, post plane evanuisse'. Tamen mihi videtur digamma, etsi recentioribus partibus carminum Homericarum dematur, in primo carmine, ut in antiquissimo, vigens consona putandum esse, cum usque ad sextum ante Christum natum saeculum in inscriptionibus inveniatur, quamquam ratio habenda est variarum dialectorum, quarum prima Ionica litteram digamma omisit ita ut una tantum inscriptio Ionica (C. I. 10) exstet Naxiorum, paucae coloniarum Italicarum digamma praebentes (cf. G. Meyer Griech. Gramm.² p. 209 sqq., Brugmann Griech. Gramm. Iw. Müller Hdb. II, 31). Itaque figura ὑποείξεαι Homero in carmine *Α* vindicanda erit, praesertim cum vox simplex εἶξαν etiam *Ω* 718 conservet vocalem productam vocis καί antegressae, et apud Alcmanum inveniatur vox ἔειξε (G. Meyer l. l. p. 212) vestigium digammi ostendens.

Vocis Ἴλιος consonam initialem, quamquam multos locos aspernari non potest negari, (Knoes II, 181) dubiumque Hartelio videtur num in fronte fuerit digamma, tamen neglegendum non est quod Hoffmann affert (Quaestt. Hom. II 128) ne uno quidem Iliados loco ante illam vocem elisionem fieri praepositionis in vocalem desinentis. Ex qua re conici potest illam consona initiali olim instructam fuisse. Productam conservari vocem καί in tertia thesi versus *Ζ* 493 idem invenit, οἷ *Θ* 495.

Consonae vis valet permultis locis, quos contulit Knoes l. l. Curtius voci digamma concedit, neque inepte a Meyero nomen *Ἴλιος* comparatur cum sanscritico vocabulo vilu quod arcem significat. Quinque igitur versus *E* 204, *Z* 493, *P* 145. *ξ* 238, *ϱ* 104, quorum in tertia thesi syllaba voci *Ἴλιος* (*Ἴλιον*) antegressa producitur vel positio fit, vetustiorem formam praebent (cf. Usener l. l. p. 21).

Voci *ἰδεῖν*, *εἰδώς* digamma attribuendum esse cum constet satis erit enumerare versus qui vi digammi una mora augentur in caesura tertii pedis.

B 269 *ἀλγήσας δ' ἀχρεῖον ἰδὼν ἀπομόρξατο δάκρυ*
B 384 *εὖ δέ τις ἅρματος ἀμφὶς ἰδὼν πολέμοιο μεδέσθω*
Δ 232 *καὶ ῥ' οὓς μὲν σπεύδοντας ἴδοι Δαναῶν ταχυπώλων*
Δ 240 *οὕς τινας αὖ μεθιέντας ἴδοι στυγεροῦ πολέμοιο*
Ω 337 *ὣς ἄγαγ' ὥς μήτ' ἄρ' τις ἴδῃ μήτ' ἄρτε νοήσῃ*
κ 34 *Αἴολος· ἀλλ' ἄγε θᾶσσον ἰδώμεθα, ὅττι τάδ' ἐστίν.*
ϱ 304 *ἐλθέμεν αὐτὰρ ὁ νόσφιν ἰδὼν ἀπομόρξατο δάκρυ*

quamquam illi versus post tertium trochaeum non bene inciduntur.

Ex versibus (*ϱ* 304) *Δ* 283, 311, 368

καὶ τοὺς μὲν γήθησεν ἰδὼν κρείων Ἀγαμέμνων
καὶ τὸν μὲν „ „ „ „
καὶ τὸν μὲν νείκεσσεν „ „ „

propter litteram paragogicam *ν* nihil certi poterit conici.

Digamma vocis *ἄναξ* in Iliaue firmissimum servatur (Hoffmann l. l. II p. 35). Duentzero videtur concedendum esse teste Dionysio Halicarnassense Antiqu. Rom. I, 20 [*ϝάναξ*, *ϝοῖκος*, *ϝανήρ*] Fleckeisenii Ann. 1867 p. 376) Knoes l. l. p. 52 sqq. virorum doctorum sententias consentientes collegit.

Certe digamma vocis *ἄναξ* permultis locis hiatum tollit et loci viginti obstantes facile mutari possunt. Non obstant sed vetustiore more facti sunt versus:

H 162 *ὦρτο πολὺ πρῶτος μὲν | ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων*

(*μὲν* omittet cod. L [La Roche Homeri Ilias p. 187])

K 559 *Θρηίκιοι τὸν δέ σφιν | ἄνακτ' ἀγαθὸς Διομήδης*

(cod. L praebet *ἄνακτα*)

Ξ 134 *βὰν δ' ἴμεν ἦρχε δ' ἄρα σφιν | ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων*
T 124 *σὺν γένος οὔ οἱ ἀεικὲς ἀνάσσεμεν Ἀργείοισιν*
ξ 395 *εἰ μέν κεν νοστήσῃ | ἄναξ τεὸς ἐς τόδε δῶμα.*

Litteram paragogicam *ν* vocum *σφιν*, *κεν*, *θεν* nativam putant Schmidt (Mützells Ztschr. 1853 p. 294) et Deventer (de littera Graecorum paragogica).

Buth (Philologus 39 p. 551 sqq.) bene affert illam litteram, etsi in inscriptionibus saepius omittatur, tamen nunquam omitti in formula *ἔδοξεν τῇ βουλῇ*. Positionem fieri in pede primo, altero, quarto. Itaque etiam ii versus non plane neglegendi videntur, quorum in tertia pede littera illa, si viget, legem metricam violat (*B* 614, *K* 559, *Λ* 709, *Ξ* 134, *ι* 93, *P* 91, 144, *ι* 334). Eiusmodi versus sunt *B* 302, *H* 23, *ϑ* 77, *ξ* 398, in quibus littera *ν* invenitur ante vocem *ἄναξ*.

De digammo vocis *ἀνήρ* quamquam inter viros doctos multum disceptatum est neque multi huic voci eam litteram tribuunt, tamen Legerlotzii sententia (Kuhns Ztschr. 1851 p. 374/5)

plane perversa mihi non videtur neque dubito consentire cum Hartelio, qui (Hom. Studd. p. 108) consonam initialem attribuit voci ἀνήρ quae eiusdem radicis sit atque ἄναξ. Neque enim dubium est permultis locis digammo vocis ἀνήρ tolli hiatum et produci syllabas antecedentes. Sed de hac voce uberius alio loco disseram. Collegi eos versus in quibus digammo vocabuli ἀνήρ prodit vetustior hexametri forma.

Vocis ἔπος digamma initiale certissimum est ita ut satis sit commemorare versus:

E 683 Σαρπήδων Διὸς υἱὸς | ἔπος ὀλοφυδνὸν ἔειπε

(cum valeat digamma in eiusdem carminis versu 871 καί ῥ' ὀλοφυρόμενōς | ἔπεα πτερόεντα προςηύδα),

H 108 δεξιτέρης ἕλε χειρὸς | ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν

ζ 509 οὐδὲ τίπω παρὰ μοῖραν | ἔπος νηκερδὲς ἔειπες

π 469 κῆρυξ ὅς δὴ πρῶτος | ἐπὸς σῇ μητρὶ ἔειπες.

Sequuntur ἄστυ et οἶκος in versibus:

Γ 140 ἀνδρός τε προτέροιο | καὶ ἄστεος ἠδὲ τοκήων

δ 596 ἥμενος οὐδέ κε μ' οἶκον | ἕλοι πόθος οὐδὲ τοκήων

versus δ 596 praebet figuram ἕλοι quae fortasse consona initiali ornata fuit (cf. Knoes l. l. p. 172).

Iam cum Bekker illi voci digamma vindicaverit, enumerabo 35 versus in quorum caesura syllaba producitur illa consona: B 12, 29 (κὲν ἕλοι), 127, Δ 406, E 50, 136, I 216, 656, Λ 315, M 397, Ξ 272, 365, Π 153, P 321, 540, T 14, Φ 71, Ω 625, δ 506, 596, η 252, ϑ 84, 89, κ 145, π 149, 297, ρ 263, 409, 462, σ 258, τ 471, 515, υ 117, φ 294, ψ 76.

ἕλωρ est in versu ν 208

καλλείψω μήπώς μοι ϝέλωρ ἄλλοισι γένηται.

ἁδεῖν, de quo vocabulo disseruit Knoes l. l. p. 204, occurrit in versu Γ 173

ὡς ὄφελον θάνατός μοι | ἁδεῖν κακὸς ὅπποτε δεῦρο.

Incertiores sunt: ἑανός in versu Ψ 254 (quamquam valet consona in versibus Σ 352, 613, Φ 507):

ἐν κλισίῃσι δὲ θέντες | ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν.

ἑκών (cf. G. Meyer Gr. Gr.[1] p. 211) versus β 133:

Ἰκαρίω, αἴκ' αὐτὸς | ἑκὼν ἀπὸ μητέρα πέμψω.

La Roche (Odyssee p. 28) scribit ἐγὼν.

ἕλισσω (Bekker Hom. Bl. II, 69, Meyer l. l.) versus υ 24

νωλεμέως αὐτὰρ καὶ αὐτὸς | ἑλίσσετο ἔνθα καὶ ἔνθα.

Voci ἀρνεῖος Hartelius (Hom. Studd. 115) recte digamma attribuisse videtur, quamquam Hoffmannus Quaestt. Hom. II, 39 ne unum quidem indicium digammi in tota Odyssea inveniri putat. Knoes l. l. p. 56. 57. 58 notat in titulo boeotico nomen ϝάρνων inveniri, ex quo concludi possit de digammo olim vigente (Iw. Müller Hdb. II, 30). In versu B 507 valet consona quaedam vocis Ἄρνην ita ut producatur syllaba antegressa πολυστάφυλον. Curtius (Grundzüge No. 496) vocem ἀρνείος in numero eorum vocabulorum habet, quae incipiebant olim a liquida littera duriore, G. Meyer numerat in iis quorum vestigia in Homeri carminibus adhuc sentiantur (Gr. Gr. 211) ϝάρνας valet Γ 310 in caesura semiquinaria post brevem syllabam in consonam exeuntem (δίφρον). Itaque statuendum erit versum B 550 esse

ἔνθα δέ μιν ταυροῖσι | καὶ ϝαρνείοις ἱλάονται

et Odysseae α 25

ἀντίοων ταύρῶντε | καῖ ἀρνείων ἑκατόμβας.

Voci ἕκαστος si digamma initiale attribuendum est, quod permultis locis hiatus summovet et productiones efficit (Knoes l. l. p. 66. 67, G. Meyer Gr. Gr. 221) praebentur versus

Ο 189 τρίχθα δὲ πάντα δέδασταῖ | ϝέκαστος δ' ἔμμορε τιμῆς
ξ 128 ἡ δ' εὖ δεξαμένη φιλέει | καὶ ϝέκαστα μεταλλᾷ
π 313 δηθὰ γὰρ αὔτως εἴσῃ | ϝεκάστου πειρητίζων
τ 592 ἀνθρώπους· ἐπὶ γάρ τοι | ϝεκάστῳ μοῖραν ἔθηκαν.

Neque vero negandum est nonnullos locos consonam initialem non admittere, quamobrem versus formularius

ὣς εἰπὼν ὤτρυνε μένος καὶ θυμὸν ϝεκάστου

a Bekkero emendatus est in μένος θυμόντε ϝεκάστου.

In initio vocis υἱός olim fuisse consonam spirantem palatalem, quae vim in Homeri carminibus nondum amiserit, O. Meyer studet probare allatis versibus

Α 505 τίμησον μοι υἱὸν . . .
Ο 522 εἴα Πάνθου υἱὸν . . .
λ 103 = ν 343 χωόμενος ὅτι οἷ υἱὸν φίλον ἐξαλάωσας.

Neque dubitat Usener (l. ll p. 27) quin ante vocem υἱός olim syllaba brevis producta sit ita ut versus vetustiores prodeant Δ 473, Ζ 130, Ι 84, Ο 197, λ 270, τ 414 = τ 459, τ 466,

Addam aliquot versus in quibus vox Σκαμάνδριος legem metricam violat, cum duabus consonis Σκ syllabam antegressam produci necesse sit, nisi forma Καμάνδριος statuitur ad explicandam alteram formam tollendamque difficultatem. In fine versuum Ε 36, 77, 774, Η 329, Μ 21, Υ 74, Φ 124, 603 invenitur octies, in tertio pede bis (Φ 305, 223), quibus locis versus sanari potest forma Κάμανδρος. Neque vero necesse erit illa forma uti si cogitaverimus de illis locis quibus invenitur vox Σκαμάνδριος in medio versu post caesuram: Β 465, 467, Ε 49, Ζ 402, Δ 499, Χ 148. His in versibus producta syllaba est in fine ordinis metrici prioris ita ut anceps videri possit. Quae syllaba primum anceps pro longa usurpata, tum brevis pro ancipite habita est, positione consonarum Σκ plane neglecta. Inde quod in mediis versibus licere etiam aliis locis permissum videbatur, ut in fine versuum lex metrica non iam violata esset.

Concedendum igitur mihi videtur inveniri in Homeri carminibus haud paucos versus in quibus vi digammi lex metrica non violatur si in tertii pedis caesura, ut in sede veteris coniunctionis duorum ordinum, syllaba anceps admittitur.

Quibus versibus permulti addendi sunt qui positionem muta cum liquida consona factam eodem loco praebent. Itaque nunc exponam de altera causa qua lex metrica saepius violata videtur. Haec est positio quam efficiunt duae consonae illae quibus nomen est muta cum liquida. Illis consonis antiquissimis temporibus apud Homerum syllabam praegressam produci satis multis exemplis in ipsis carminibus demonstratur. Omnes locos La Roche collegit libro qui inscribitur Homerische Untersuchungen (p. 1—41) ut supervacaneum sit singulis locis singula exempla afferre. Satis erit dicere 'consonam mutam cum liquida coniunctam omnino positionem efficere sed ita ut metri causa multis locis neglegatur'.

Inveniuntur enim in initio vocum saepius duae illae consonae quamvis syllaba antegressa non producta sit. In mediis vocabulis vis producendi diutius servata est sed in dies magis evanuit. Quae cum ita sint Hartel eam positionem tam infirmam putat ut arseos vi iuvari debeat qua valere possit. In thesi 576^ies^ positio illa non valet (H. St. p. 64). Tamen in antiquissimis partibus carminum ante illas duas consonas etiam in thesi syllabam brevem productam esse putandum est praesertim in mediis vocibus, neque in recentioribus partibus positionem videmus neglegi nisi raro cum metri necessitas causa sit. Buth l. l. 553 invenit valere positionem illam in Iliade 1613 locis, in Odyssea 1060 locis. Erant enim permultae voces eo numero ut difficulter in versu dactylico usurpari possent; quarum forma cretica in dactylicam mutata positio neglegebatur. Hartel (Hom. Studd. p. 80) putat neglectas positiones in mediis vocibus recentiorum temporum esse. In initio vocum saepius neglegitur productio, sed ita ut syllabae non productae sint in tertia et quarta thesi. Ibi inveniuntur altera in sede 202 altera in sede 278 voces quae a duobus consonis incipientes non producunt syllabam antecedentem. Exempli gratia afferam versus:

ὥς οἱ μὲν τοιαῦτα | πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον

et:

καί μιν φωνήσας ἔπεα πτερόεντᾰ | προσηύδα.

Praeterea in prima thesi vicies et quinquies et ceteris in sedibus decies syllabae breves non productae sunt. Variorum autem carminum varium esse usum Hartel ostendit l. l. p. 83.

Syllabas breves in caesura vi illius incisionis pro longis usurpatas esse quamquam Spitznerus iudicavit (de versu Graec. heroico p. 60) tamen cum Usenero licet cogitare de syllaba ancipite in caesura trochaica. Qui vir doctissimus (Altgr. V. p. 22) putat, muta cum liquida littera coniuncta semper produci syllabam praecedentem, neque quicquam interesse utrum illae sint in fine vocum an in fronte. At quid tum statuendum erit de illis versibus, qui una mora augentur syllaba brevi longa facta in alia sede atque in caesura tertii pedis? Quod certe fit in versu formulario

καί μιν φωνήσας ϝέπεα πτερόεντα | προσηύδα.

Recte obicit Ludwich illum versum plane discerpi si valeat positio, et institit in versibus *Υ* 383 et 389

ἐσθλὸν Ὀτρυντείδην πόλεων ἡγήτορα λαῶν

κεῖσαι Ὀτρυντείδη πάντων ἐκπαγλότατ᾽ ἀνδρῶν.

Quibus in versibus mea quidem sententia facile potest excusari vocem *Ὀτρυντείδης* usurpari correpta prima syllaba, quod in nominibus poeta necessitate saepe cogitur. Neque desunt in ipsis carminibus Homericis loci quibus demonstratur ante *τρ* syllabas productas esse. Usener l. l. p. 23 affert versus *Ζ* 215, 231, 446, 468 in quibus invenitur *πᾱτρώϊος, πᾱτρός*. Tum versus *Ζ* 479 est

καί ποτέ τις ϝείπησι | πᾱτρός γ᾽ ὅδε πολλὸν ἀμείνων

quod Ludwich ipse concedit (Arist. Hom. Textkritik 2, 351) et si in vocabulo *πατρός* prima syllaba positione producta est cur non in versu *Υ* 384

ὃν νύμφη τέ κε νηὶς | Ὀτρυντῆι πτολ.

prima syllaba etiam producitur? Tum vero vetustior versus forma exstat, cuius in posterioris ordinis metrici initio syllaba longa pro brevi anacrusis esse poterat. Posteris temporibus illam pro correpta, ne versus lex metrica violaretur, habitam alia sede eodem modo levem usurpatam esse mihi persuadere possum.

Qua de re cum Usenerus uberius disseruerit satis habebo afferre versus quos collegi in Iliade et in Odyssea, quibus demonstrem haud paucis locis vi positionis legem metricam recentiorum temporum non violari sed vetustiorem formam hexametri in Homeri corminibus servari.

Saepius occurrit vox *Κρόνος* vel *Κρονίων* in caesura tertii pedis:

B 205 *εἷς βασιλεὺς ᾧ ἔδωκε | Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω*

B 319 *λᾶαν γάρ μιν ἔθηκε | Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω*

(producit *Κρόνος* in caesura versus 59 et 166).

Eodem modo *Z* 139, *Θ* 415, *I* 37, *M* 450, *Ξ* 247, 346, *O* 191, *Π* 431, *P* 269, *Σ* 293, *Φ* 216, *λ* 620, *ϱ* 424, *τ* 80, *υ* 273, *φ* 415 formae radicis *Κρον*... exstant in eadem caesura. Positio valet aliis locis 50ies (La Roche p. 25 'metri causa saepe neglegitur'). Non valet 37ies in exitu versuum, 19ies in caesura exstat.

His versibus addantur

Υ 121 *παρσταίη δοίη δὲ | κράτος μέγα μηδέ τι θυμῷ*

Λ 119 *σπεύδουσ' ἱδρώουσα | κραταιοῦ θηρὸς ἀφ' ὁρμῆς*

I 214 *πάσσε δ' ἁλὸς θείοιο | κρατευτάων ἐπαείρας*

N 504 *αἰχμὴ δ' Αἰνείαο | κραδαινομένη κατὰ γαίης*

P 524 *νηδυίοισι μάλ' ὀξὺ | κραδαινόμενον λύε γυῖα.*

ψ 46 *ἑστεῶθ' οἵ δέ μιν ἀμφὶ | κραταίπεδον οὖδας ἔχοντες*

ψ 110 *σήμαθ' ἃ δὴ καὶ νῶι | κεκρυμμένα ἴδμεν ἀπ' ἄλλων*

et incipientes a *Κλ* consonis voces *Κλυταιμνήστρη* et *κλεήδων* inveniuntur in caesura versuum

Λ 113 *οἴκοι ἔχειν καὶ γάρ ῥα | Κλυταιμνήστρης προβέβουλα*

λ 422 *Κασσάνδρης τὴν κτεῖνε | Κλυταιμνήστρη δολόμητις*

σ 117 *ὣς ἄρ' ἔφαν χαῖρεν δὲ | κλεηδόνι δῖος Ὀδυσσεύς.*

χρέος (*χρέως* DEPSV La Roche) occurrit in versu *ϑ* 353

εἴκεν Ἄρης οἴχοιτο | χρέος καὶ δεσμὸν ἀλύξας;

Vox *πρός* cum saepissime et in tertia sede et in aliis sedibus versus inveniatur permultis locis vim positionis efficiendae amisisse videtur, praesertim in clausula *ἔπεα πτερόεντα προςηύδα.* 746ies valet, 445ies *ν* exstat, 272ies locis non valet, quorum 119ies sunt in caesura, 153 igitur loci obstant. Quibus locis Usener restituendam putat formam *ποτηύδα*, ut difficultas tollatur (Usener l. l. p. 26, La Roche Hom. Unters. p. 254). Iam cum in Homeri carminibus inveniantur *ποτιφωνήεις* et novem duplicata ante substantivum (v. Lex. Hom. s. v. *ποτι*) cogitari potest de figura *ποτηύδα* vetustiore, aeolice dicta, quae postea in [*προτι*] *προςηύδα* mutata sit, cum ante haec vocabula non iam produceretur syllaba antegressa, ordinibus veteribus hexametri in unum versum coniunctis. At vir doctissimus hoc loco non sibi constitit, nam si forma *ποτηύδα* arcessitur, non opus est de difficultate syllabae productae disputare neque illa forma argumento esse potest vetustiori hexametri formae.

Rectius conicendum erit ex syllabis ante voces *πρό*, *πρός*, ceteris a muta cum liquida incipientibus productis:

— inde a caesura tertii pedis trochaica, quo loco duo ordines metrici olim coniuncti sint, syllabam *προ*... consonis antegressam, primum vere productam vi positionis, deinde specie ut in fine ordinis metrici ancipitem, tum ibi levem, denique omnibus locis levem habitam atque pro brevi usurpatam esse. —

Itaque versus formularius

ὀχθήσας δ' ἄρα ϝεῖπε | πρὸς ὃν μεγαλήτορα θυμόν

quem Bekkerus emendavit in *ἑϝον μεγαλήτορα θυμόν* non mutandus sed liberiore lege metrica revinctus videtur.

Invenimus illum versum *Λ* 403, *P* 90, *Σ* 5. *Y* 343, *Φ* 35, 552, *X* 98, *ε* 298, 355, 407, 464.

Multo saepius invenitur versus

ὡς οἱ μὲν τοιαῦτα | πρὸς ἀλλήλους ἀγόρευον

E 274, *H* 431, 446, *Θ* 212, *Λ* 643, *N* 81, *Π* 108, *Σ* 368, *Φ* 514, *δ* 620, *η* 334, *ϑ* 333, *ξ* 409, *ο* 493, *π* 321, *ϱ* 166, *σ* 243, *υ* 167, 240, *χ* 160, *ψ* 288, *ω* 98, 203, 283; et versus

οἱ δ' ἐπ' ὀνείαθ' ἑτοῖμα | προκείμενα χεῖρας ἴαλλον

I 221, *Ω* 627, *α* 149, *δ* 67, 218, *ϑ* 71. 484, *ξ* 453, *π* 540/42, *ϱ* 98, *υ* 255.

προςηύδα exstat in tertio pede versuum *Λ* 256, *E* 454, *Z* 144, 214, *H* 464, *Ξ* 197, 300, 330, *Π* 858, *P* 500, *T* 105, *Φ* 97, *X* 17, 37, 90, 364; *α* 252, 396, *δ* 580, *ι* 345, 363, 474, 492, *κ* 400, 455, *λ* 99, 552, *μ* 36, *ξ* 484, *ο* 440, *ϱ* 507, 575, *σ* 244, *υ* 165, 177, *φ* 192.

πρός inveni in versibus *Θ* 74, 364, *Λ* 643, *M* 239, *Π* 431, *P* 269, *Φ* 552, *Ψ* 868, *ι* 26, 459, *κ* 34, *λ* 17, *μ* 353, *ν* 240, *ξ* 409, *φ* 347, *ψ* 301.

προςέχιστε *υ* 73. *προςαΐξας* *χ* 342, 363. *πρόσω* *P* 598, *Σ* 388, *σ* 192.

πρό est in versibus

P 726 *βλημένω ἀΐξουσι | πρὸ κούρων θηρητήρων*

Ω 783 *ζεύγνυσαν αἶψα δ' ἔπειτα | πρὸ ϝάστεος ἠγερέθοντο*

cui similes sunt *κ* 105 et *ω* 468.

προῆκε *P* 545. *προθυμίῃσι* *B* 588.

πρόσω

P 598 *βλῆτο γὰρ ὦμον δοῦρι | πρόσω τετραμμένος αἰεί.*

Σ 388 *ὣς ἄρα φωνήσασα || πρόσω ἄγε δῖα θεάων.*

προσώπατα

σ 192 *κάλλεϊ μὲν ϝοῖ πρῶτα | προσώπατα καλὰ κάθηρεν.*

υ 352 *εἰλύαται κεφαλαίτε | πρόσωπά τε νέρθετε γοῦνα.*

βροτός, quae vox efficit positionem 24ies (La Roche H. U. p. 19) quamquam Ludwich (Berl. Phil. Woch. VII, 1410) contendit voces *βϱοτ*, . . et *Kϱον* . . . omnino non producere syllabam antecedentem,) in Iliade decies inven'tur, in Odyssea tricies in caesura trochaica. Versus sunt

H 446 *Ζεῦ πάτερ ἦ ῥά τις ἔστι | βροτῶν ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν*

et similes *Θ* 428 *Διὸς ἄντα | βροτῶν ἕνεκα πτ.*, *N* 374, *Y* 248, *Φ* 380, 463, *Ψ* 439, *Ω* 43, 67, 464; *α* 66, 282, 337, *β* 216, *δ* 78, 190, 196, 692. *ε* 101, *ζ* 119, 205. *ϑ* 16, 487, *ι* 405, *κ* 147, *λ* 218, 476, *ν* 180, 200, 297, *ϱ* 386, *σ* 85, 116, *τ* 107, 360, 365, 567, *φ* 308, *ψ* 216, 267.

Incipientes a *βϱ*, quae consonae valent 55ies (La Roche l. l.), addendae sunt voces *βραχίων*, *βριήπυος*, *βρίσας*:

σ 69 *στηθέα τέ στιβαροί τε | βραχίονες· αὐτὰρ Ἀθήνη*

M 389 *ἦ [ὃ] ἴδε γυμνωθέντα | βραχίονα παῦσε δὲ χάρμης*

Π 323 *ὦμον ἄφαρ πρυμνὸν δὲ | βραχίονα δουρὸς ἀκωκὴ*

Π 510 *χειρὶ ἑλὼν ἐπίεζε | βραχίονα τεῖρε γὰρ αὐτόν*

N 521 οὐδ' ἄρα πώ τι πέπυστο | βριήπυος ὄβριμος Ἄρης

N 532 ἐξέρυσε πρυμνοῖο | βραχίονος ὄβριμον ἔγχος.

Sequuntur voces incipientes a consonis ϑρ, ϑν, δρ, τρ (La Roche l. l. p. 36 sqq.).

ϑρασύ.. valet κ 436, *O* 216, λ 267, *E* 639, in caesura invenitur septies, multi loci obstant. ϑρόνος valet 25ies, non valet 23ies in formis iambicis, quarum 4 sunt in trochaica caesura, 19 loci igitur obstant. —

Λ 553 ἀντίον αἴσσουσι | ϑρασειάων ἀπὸ χειρῶν.

Λ 571 ἱστάμενος τὰ δὲ δοῦρα | ϑρασειάων ἀπὸ χειρῶν

N 134 ἔγχεα δ' ἐπτύσσοντο | ϑρασειάων ἀπὸ χειρῶν

O 314 Θρῷσκον πολλὰ δὲ δοῦρα | ϑρασειάων ἀπὸ χειρῶν

P 662 ἀντίον ἀΐσσουσι | ϑρασμάων ἀπὸ χειρῶν

Ψ 114 τετρίγει δ' ἄρα νῶτα | ϑρασειάων ἀπὸ χειρῶν

ε 434 ὣς τοῦ πρὸς πέτρῃσι | ϑρασειάων ἀπὸ χειρῶν

ζ 308 ἔνϑα δὲ πᾶτρὸς ἐμοῖο | ϑρόνος ποτικέκλιται αὐτῇ

κ 352 τάων ἡ μὲν ἔβαλλε | ϑρονοῖς ἔνι ῥήγεα καλά

κ 354 ἡ δ' ἑτέρη προπάροιϑε | ϑρόνων ἐπίταινε τραπέζας

ρ 32 κώεα καστορνῦσα | ϑρόνοις ἔνι δαιδαλέοισιν

ϑν . . . *Φ* 29 τοὺς ἐξῆγε ϑυράζε | τεϑνηκότας ἠύτε νεβρούς

δρ . . . *B* 308 ἐνϑ' ἐφάνη μεγὰ σῆμα | δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός

Λ 39 κυάνεος ἐλέλικτο | δράκων κεφαλαὶ δὲ οἱ ἦσαν

τρ . . . *Z* 479 καὶ πότε τις ϝείπῃσι | πατρὸς γ' ὅδε πολλὸν ἀμείνων

Y 384 ὃν νύμφη τέκε νηὶς | Ὀτρυντῆι πτολιπόρϑμῳ.

τραπείομεν (La Roche p. 34—36 τρ valet 333 locis, non valet 65, quorum 13 sunt in caesura, obstant 52 loci.)

Γ 441 ἀλλ' ἄγε δὴ φιλότητι | τραπείομεν εὐνηϑέντε

Ξ 314 idem versus

ϑ 292 δεῦρο φίλη λεκτρόνδε· | τραπείομεν εὐνηϑέντε.

τραπεζῆας, τραπεζῆες, τράπεζα

X 69 οὓς τρέφον ἐν μεγάροισι | τραπεζῆας ϑυραωρούς

Ψ 173 ἐννέα τῷ [γε] ϝάνακτι | τραπεζῆες· κύνες ἦσαν

λ 419 ὡς ἀμφὶ κρητῆρα | τραπέζας τε πληϑούσας

ρ 309 ἦ αὔτως οἷοί τε | τραπεζῆες κύνες ἄνδρῶν.

τροποῖς

δ 782 ἠρτύναντο δ' ἐρετμὰ | τροποῖς εν δερματίνοισιν

ϑ 53 ἠρτύναντο δ' ἐρετμὰ | τροποῖς ἐν δερματίνοισιν.

τρέφει

ε 422 ἐξ ἁλὸς οἷά τε πολλὰ | τρέφει κλυτὸς Ἀμφιτρίτη

ν 410 πίνουσι τάϑ' ὕεσσι | τρέφει τεϑαλυῖαν ἀλαφὴν.

τρέμον

λ 527 δάκρυάτ' ὠμόργνυντο | τρέμον δ' ὑπὸ γυῖα.

τριήκοσι

φ 19 νυυσί πολυκλίησι | τριήκοσι ἠδὲ νομῆας.

Demonstravisse mihi videor in Homeri carminibus inveniri versus in quibus ordines metrici liberiore modo inter se coniuncti sunt, asynarteti, ut Bentleiano verbo utar. Neque posteris temporibus illa forma hexametri plane evanuit. Ex hexametris enim bipertitis in inscriptionibus inventis qui ita divisi sunt ut incisio sit post trochaeum tertii pedis conicere possumus poetis vel fabris sexti p. Chr. n. saeculi notam etiam fuisse formam vetustiorem, cuius mentionem facit Aristoteles (met. N. p. 1093a 26 [cf. Usener l. l. p. 41]) cum dicat veteres rerum musicarum scriptores hexametrum ita divisse ut ordines duo fierent, quorum prior octo syllabas haberet, posterior novem.

Neque omittendum est inde a Nonni temporibus caesuram trochaicam tertii pedis pro genuina sola usurpatam esse, ita ut novissima versus heroici forma eadem sit ac vetustissima.

Sequuntur ordine carminum versus ex Iliade et Odyssea collecti qui vetustiorem formam praebent:

Α (14), 21, 75, (96 cod. S), 110, 113, 117 (D, Cram. Anecd.), 141, 294, (373), 438. *Β* (12. 29, 66, 127), 205, 269, 308, 319, 384, 465, 467, 550, 588, 614. *Γ* 140, 173, 441 (nam in carmine *Γ* positio mutae cum liquidae in caesura tertii pedis trochaica severissime observatur cf. 44, 64, 68, 88, 118, 183). *Δ* 75, 232, 240, 256, (406). *Ε* 49, (50), (136), 274, 204, 338, 431, 454, 683. *Ζ* (130), 139, 144, 214, 402, 479, 493, 520. *Η* (106), 108, 162, 446, 464. *Θ* 74, 212, 364, 415, 428. *Ι* 37, (84), (216), 221, 214, (656). *Κ* 559. *Λ* 39, 119, (315), 403, 499, 571, 643, 709, (701, 732 var. lect. αὖθις, αὐτάρ). *Μ* 76, 85, 239, 389. (397), 450. *Ν* 81, 134, 374, 504, 521. *Ξ* 134, 197, 247, (272), 300 = 330, 314, 346, (365). *Ο* 91, 142, (197), 314. *Π* 101, 139, (153), 323, 431, 510, 858. *Ρ* (91, 144), 145, 195, 269, (321), 500, 524, (540), 545, 598, 635, 662, 713, 726. *Σ* (38, 49), 85, 293, (352), 368, 388, (613). *Τ* (14), 105, 124. *Υ* 121, (221), 248, 384. *Φ* 29, (71), 97, 216, 380, (448), 463, (507), 514, 552. *Χ* 7, 37, 69, 90, 98, 148, 364. *Ψ* 111, 173, (254), 288, (434), 439, 714, 868. *Ω* 43, 67, 337, 464, (625), 627, 783.

Odysseae *α* 25, 66, 149, 252, 300, 336, (431). *β* 54, 116, (133), 216. *γ* (32). *δ* 67, 78, 190, 196, (406), (506), 577, 620, 680, 692, (780), 782, 218. *ε* 101, (181), 321, (410), 422, 434, (460), (473). *ζ* 119, 205, (226), 228, 308. *η* (252), 321, 334. *ϑ* 16, 34, (51), 53, 71, (84), (89), 292, 333, 353, 484, 487, [545]. *ι* 26, (132), (334), (93). 345, 363, 405, 459, 474, (491), 492. *κ* 34, 44, 105, (145), 147, 352, 354, 400, 403, 423, 455. *λ* 2, 17, 99, 218, (270), 419, 422, 476, 527, 552, 620. *μ* 36, 233. *ν* 179, 200, (208), 240, 297, (369), 410. *ξ* (3), 395, 409, 453, 484, 509. *ο* 142, (207), 440, 493. *π* 54, (149), (279), 313, 321, 348, 469. *ϱ* 32, 98, 104, (113), 166, (243), 290, 309, 386, (409), 424, (462), 507, 575, 597. *σ* 85, 116, 117, 192, 243, 244, 258. *τ* 80, 107, (250), 360, 365, (414), (459), (466), (471), 481, (515), 567, (592). *υ* (24), 73, (117), 165, 172, 177, 240, 255, 273, 352. *φ* 19, 192, (254), 308, 347, 415. *χ* 160, 342, 365. *ψ* 46, (76), 110, 216, 267, 288. *ω* 98, 203, 283, 468.

Druck von W. Pormetter in Berlin.